

dici fas est et gratia Dei nullo modo pecunia emitur, quicquid aliud confertur, infructuose omnino exhibetur.

6 Quid ergo iuvat indulta ab illis peccatorum remissio? Primus enim ait dominus in evangelio: *accipite spiritum sanctum* et postea subintulit: *quorum remiseritis peccata, remissa erunt, et quorum retinueritis, retenta erunt.*¹ Peccata ergo neque remittere neque retinere possunt, qui spiritum sanctum prius non acceperunt. Quid denique confert illorum benedictio? Benedictionis gratiam dare non possunt, qui benedicendi gratiam non acceperunt, immo maledictionem pro benedictione inducunt.

7 Vt de veteri testamento aliqua supersumamus exempla, in lege scriptum est: *quod tetigerit immundus, immundum erit.*² Quod ad litteram accipi potest et spiritualiter intelligi oportet. Immundus enim erit, quisquis immunditiam atque heresim alicuius agnoscens ab eo tactus atque tractus ad sui communionem fuerit. Et alibi: *locutus est dominus ad Moysen dicens: Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias domino nec panes Deo suo; vescetur tamen panibus, qui offerruntur in sanctuario, ita dumtaxat, ut intra velum non ingrediatur nec accedat ad altare et contaminare non debet sanctuarium meum.*³ Per quamvis maculam peccatum signatur, per lepre maculam heresis designatur. Qui ergo ab ipso altaris immo veli accessu arcetur, ab omni altaris officio omni modo inhibetur. Si itaque is qui maculam gerit, quamvis existat de semine Aaron sacerdotis, cuius solam stirpem Deus assumpserat ad officium altaris, omnimodo prohibetur ab altaris accessu, nulla prorsus questio restat de eo, qui lepre macula infectus erit et qui de semine Aaron non fuerit. Nulla igitur symoniacus ratione potest accedere ad altare, quia si accedit, non sacrat set contaminat sanctuarium Dei utpote immundus atque heresis hoc est lepre macula infectus et a semine Aaron sacerdotis omnino alienus. *Sumit enim ipse sibi honorem et non^a vocatur a Deo tanquam Aaron.*⁴

8 Beatus quoque Ambrosius in libro de observatione episcoporum inde disputans inter alia si non eisdem verbis, eodem omnino sensu ista dicit⁵: Quid accipit episcopus? Aurum. Aurum nquid est, quod accipit episcopus, ponit in sacello, set accipiendo

^a) folgt et.

¹) Joh. 20, 22—23.

²) Num. 19, 22.

³) Levit. 21, 16. 21—23.

⁴) Hebr. 5, 4.

⁵) Pseudo-Ambros. de dign. sacerd. c. 5.